Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

Iunius

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library

j.5.64.

IVNIVS



BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Literæ prouisionales pro Maria Magdalena de Cuniga &c.

336

Nos Maximilianus &c. Fatemur tàm nostro quàm hæredum nostrorum nomine, ac quibuscunq; necesse est, hoc diplomate notum facimus. Nobilis deuotæ nobis dilectæ Mariæ Magdalenæ de Cuniga fidelibus inprimis et indefessis obsequijs, officiorumq; debitorum studio alacerrimo, quæ Serenissimæ Reginæ coniugi nostræ dilectiss.mæ à qua etiam horum nomine chara acceptaq; plurimum habetur complures iam annos dicata p̄stitit, atq; porro p̄stitura est proculdubio, inductos atq; permotos, ut eiusmodi suæ obseruantiæ ac deuotionis contestatæ p̄mium aliquod dignum ferat. Clementer nr̄o, et hæredū nostrorum nōie nos concessisse atq; permisisse, quemadmodum huius ēt diplomatis uirtute et tenore concedimus atq; permittimus. Nimirum ducentorū talerorum annuam prouisionem, prima die Junij abhinc numerandam, neq; nisi duorum millium talerorum sorte redimendam, quam dictæ Mariæ Magdalenæ, ac quibusuis alijs, ad quos uel uēditionis uel Donationis, uel alio quocunq; iusto titulo huius Diplomatis Jus translatum fuerit, ex Botzensi-

bus

bus Corrij mercium Vectigalibus nris. quæ ipsis hypothecæ loco interea esse uolumus, in moneta siue aurea siue argentea, quoquo tempore per Imperium usibile per Magistratum Rationũ Tirolensis Comitatus Wolfgangum Calmüntzer à Calmüntz, aut ei suffectum, eousq; numerabimus atq; exoluemus, numerandamq; et exoluendum curare debebimus, dum eiusmodi ducentorũ talerorũ prouisio, duorũ millium talerorũ numeratę pecuniæ sorte soluta, redimatur, ac pro uoto illorum plenè exoluatur: Id quod hoc diplomate, quod Regio nro Sigillo obsignatum subscripsimus, attestamur. Datæ Viennæ Austriæ die 1.a Junij Anno 1564.

Maximilianus &c.

Duci Florentiæ.

337° Multis sane ijsq; illustribus indicijs optima Vrã Dilsmi erga Nos uoluntas et animi propensio, iampridem Nobis est comprobata, ut de ea, quin Nobis constanter

etiamnũ

etiamnum conseruetur, plane nihil iam ambigamus. Quorũ
indiciorum, haud postremo loco ponimus, quod eadem V. Dil.
Generosum ac Mag.cum nrũm et Sacri Imperij fidelem dilectũ
Georgium Comitem ab Helffenstain &c. Sac.ae Cæs. M.tis per supe-
riores prouincias Austricas Locumtenentem Generalem, cum in
legatione nro noĩe ad Pont. Max. haud ita pridem suscepta
iter Florentiam faceret, adeousq; beneuolè ab Illu. Dil. V. fi-
lio exceptum, tanta insuper humanitate et magnificentia ha-
bendum et tractandum curauerit, ut sanè à nemine planè
humanius atq; hylarius, splendidiusue is tractari sese
potuisse, magna cum uirtutum excellentiũ dicti Principis
testificatione, nobis p̃dicauerit. Id quàm gratum à V. D.e
nobis quoq; obtigerit nos sanè benè memoris animi gratitu-
dine egregiè aliqñ declarabimus. Quod igitur ẽt ab
ab eodem Comite fideliter Nobis cõmemoratum, V. Dil.tis
et literis quibusdam ante ac post ad Nos missis amo-
ris certe et officij admodum plenis, tum nouissimis
etiam suis propria manu scriptis iterato Nobis defert
obseruantiæ et studij, id quidem ex nimio quasi obse-
quendi eius desyderio et Syncerae uoluntatis erga Nos

abundantia profectum esse facile agnoscimus. Ex eo uero inprimis quod consiliorum suorum et instituti sui de Ducatus et status sui totius administratione Illu Principi filio suo, amico item nro charissimo demandata, rationes tam amanter nobis comunicatas uoluit: Qua in re nos equidem V. Dilis prudentiam, maturamq; eorũ q̃ e re sunt subditorũ consyderationem insignem non possumus non magnopere collaudare atq; comprobare. Quem enim successurũ sibi aliquando esse nouerat, V. Dilis eum ut aptiorem rebus gerendis, administrationiq; tantæ subeundæ parem atq; idoneum redderet, non potuit me hercle consultius agere, quam eiusmodi functioni "uel rerũ moderationi" ipsum hoc tempore adhibere, quo Vræ Dilis superstitis manu quasi præuia quicquid ad absolutam bene regendi artem ipsi deest, addiscere commodissime queat: quanq; quæ e illius Dilis ad pelara quæq; munera dexteritas, ingenijq; uere heroici pstantia, et virtus, animi Principe digna, quin ipsa etiã suomet Marte prouinciam istã satis feliciter iam uerset atq; agat, apud Nos planè nullum est dubium. Erit certe hoc summo V. Dilis plurimorũ

rimorum hactenus atq; p̄grauium laborum suorū pro Rep. exantlatorum solatio ad reliquum uitæ quietius traducendū desyderatissimo, et Reip. p̄terea uniuersæ ditioni suæ, utilitati et saluti, maximè consultum.

Certiorem ēt reddidimus eadem de re, quam primum per Infirmitatem eius licuit, Sac: Cæs. Mtem Dn: et parentem nrum colen. amantissemumq;, cui itidem istud V. Dilmis consilium graui sanè et p̄maturū summè commendatur: Quapropter V. Dil. quod reliquum est, à Deo quidem optimo Max. actiones istas suas oēs perpetuò fortunari ex animo peroptamus: Nostram uero beneuolentiam mutuam et amorē candidum quo illam constanter prosequimur, ubicunq; usui ipsi fuerit, paratissimam et alacerrimam omnino pollicemur. Datæ Viennæ ya Junij. Anno ꝑ M.D.LXIIII.

Maximilianus etc.

Comiti Nicolao de Zrynio etc.

338 Spectabilis et Magce fidelis Nobis dilecte Nosse te uolumus fidelem nrum Rdum Andream Duclitium Sbardellatū,

Epum Quinq; ecclesiensem &c. nobis ob singularem eius erga Nos perspectam fidem, et seruiendi promptitudinem, charum et gratum esse. Quo fit, ut ei in negotijs ac rebus suis, nram Clementiam psto esse uelimus. Quapropter fidelitatem tuam clementer hortamur, et eidem comittimus ac mandamus, Vt quandocunq; dictus Epus Quinq; ecclesien. siue eius noie ex suis hominibus aliquis tuam ope et fauorem in recuperandis Ecclia suae bonis (quatenus illa ab antiquissimo tempore ad Arcem Zygeth indubitanter non pertineant) atq; alijs etiam in rebus implorauerit, ei omni, quo potes, auxilio et fauore adsis. In quo facturus es benegratam et expssam voluntatem nram, Regia tibi gratia nra recompensandam. Secus aut ne feceris. Datum Viennae vta die Iunij. Ao. M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

Francisco Baroni de Turri &c.

339

Alexandro Lampognano Ciui Veneto, quod eius nobis integritas

integritas à probatis quibusdam viris plurimum comprobetur, nostra benignitate opitulandum Clementer duximus. Quodsi igitur tibi quoq; idem de illo certó constabit, neq; nostra cõmendatione indignus uidebitur, uolumus sane eum Illũ Principi, Venetiarũ Duci, amico nostro charmo per te amãter nr̃o nomine ita cõmendari, ut eius Dilmo ad Supranumerarij Proxenetæ, uulgò Sensariæ officiũ isthic in Negotiatoria Germanorũ domo exercendũ, benigne illum prouehat prouehendumq; iubeat: Siquidem id officij antehac conferri alijs quoq; fuerit solitum, quemadmodũ ex ipo Alexandro plenius accipies. Contestaberis ẽt eidem Illo Duci si hoc nostræ intercessini concesserit, fore id nobis cumprimis gratum suæ in Nos beneuolentiæ testimoniũ, cui ut mutuis beneuolentis erga eius Dilmum animi officijs aliqñ respondeamus, plurimum Nos ẽe curaturos. Feceris aũt tu ueteri tuo erga Nos obsequendi studio dignũ, et nr̃æ clemẽti uoluntati inprimis consentaneũ, Datum Viennæ VII Junij Anno ꝯ M.D LXIIII.

340 Maximilianus 2c.

Sigismundo Tordx

Ex literarum exemplo, quod una cum autographo hisce inserimus, accipies, quae nra sit sententia in negotio singulorum illorum florenorum, quos sibi pretextu pecuniae Sac. Caes. Mtis. Dno et parenti nro colendiss. et amantiss. concredita recuperandae ex Donativo nro, in bonis suis detinet Mgcus fidelis nobis dilectus Franciscus Buttianus, cui tu ipsas literas per Exactorem porrigendas curabis. Nostram tibi benignitatem constantem pollicens. Data Viennae 11. Junij Anno p. M. D. LXIIII.

Maximilianus &c.

Francisco Buttiani.

3410

Magnifice fidelis nobis dilecte. Ex Sac. Caes. Mtis. p. Dni et parentis nri colendiss. atq; amantissimi Camera Vngarica ad Nos scribitur, singulos istos florenos, qui Nobis in bonis tuis, donativi à statibus Vngariae designati nomine, cedunt,

abs te

abs te, ꝑtextu recuperandæ duorum milliũ florenorũ Summæ, à dicta Cæs. Mtis tibi debitæ, ꝑter opinionẽ nostram intercipi, atq; exactoribus nr̃is solui prohiberi. Cum aũt in illos florenos, quod nostri sint peculij, ius tibi hac ratione nullum sit uendicãdi: Nos sane ab eiusmodi te interceptione posthac penitus abstinere, et à Cæs.ᵃ Mtis, ut à qua sola tibi debetur non à Nobis, dictam 2000 florenorũ summã repetere uolumus. Qua in repetitione equidem nr̃am quoq; opem apud ꝑfatam Cæs.am Mtem libenter pro te interponemus. Egeris in hoc quod debes, officiũ, et ex nr̃a omnino Clementi uoluntate. Datæ Viennæ XI.ª Junij Anno ꝯ M.D.LXIIII.

Regi Franciæ

342.

Maximilianus &c. De ardenti iustitiæ, legumq; inuiolabiliter conseruandarum amore et studio, quod Vr̃a Seren.tas à Ser.mis maioribus suis, quasi per manus acceptũ ipsa quoq; mirificè colit, satis iampridem edocti, equidem confidentius nonnihil ab ipsa petimus, ut fideli nr̃o dilecto Joanni Geiger, ciui et Mercatari Norimbergen

nostro nomine, solita sua in quoscunq; p̄ssos et ope destitutos homines benignitate adesse non inuita uelit. Detulit aut̄ is ad Nos suppliciter se à multo iam tempore ex controuersia quadam, quæ ipsi cum fideli nr̄o Dilecto Georgio Obrecht V. S.tis Oeconomo de com̄um Buxus com̄ercio intercedit, in iudicio p̄ter meritum diuexari: Nam cum ipse eiusq; familia à 40 iam annis Buxus aliarumq; mercium quarundam negotiationem in operarijs Inferioris Austriæ oppidis n̄ris libere egissent, conatum fuisse non ita pridem quendam contribulem suum Norinbergensem Wolfgangum Schwingenham̄er à Sac.ae Cæs.ae M.tis Domino et parente nr̄o colendiss. atq; amantiss: eiusmodi priuilegium impetrare, quo soli sibi dictum Buxus com̄ercium p̄fatis in locis exercendi facultas esset: Quo cum iustis ex causis frustraretur idem apud Sex.tum Vram in eius prouincijs obtinere laborasse, ac Monopolij etiam impetrati p̄textu, se cæterosq; oēs eiusmodi mercaturam agentes ab ea exclusisse. Itaq; hac se iactura, inhibitæ scilicet sibi solitæ suæ mercaturæ permotum cum dicto Wolfgango societatem com̄unem inijsse,

collata

collata nō leui pecuniæ summa, et cæteris quibusdam commodis. Atqui cum priuilegium illud obtenti sēz Monopolij, contracta Societate edendum esset, compertum fuisse, quod nullum ille unq̄ obtinuisset, sed autē p̄fati Georgij Obrecht fretum eiusmodi de se famam inanem diuulgasse. Wolfgangum igr̄ his etiam conatibus sese deiectū cum anamaduertisset, causam suam totam p̄fato Georgio, ut cui magno ære alieno esset obstrictus, reliquisse: ac proin à Georgio non solum notos Buxus mercatores pellectos, atq̄ à se auersos, uerùm et omnem p̄terea Buxū à se isthic coemptam arresto fuisse detentam.

Et quanq̄ id arestum postea in iudicio fuisset iniquum cognitum, ipseq̄ Georgius in expensas litis condemnatus eum tamen obreptitijs quibusdam literis ex Sec.tis Vr̄æ aula conquisitis, à sententia priori Namusiū appellasse, arrestumq̄ denui Buxui ipsius impositurū casa secundo cecidisse. Notarios deinde et apparitores quosdam ab illo fuisse subornatos, qui ipsum ad pacta iniqua cum illo ineunda compellerent: Eiusdem quoq̄ instinctu bona sua ab alijs etiam hominibus sibi planè

ignotis

ignotis arresto fuisse infestata. His igitur incommodis ut quoquo modo moderetur, sese transactionem cum illo suscepisse necessario, hac tamen illum minime obseruata, iterato arrestum prioribus ipsius mercibus indixisse. Posthæc, cum motibus bellicis incidentibus Geneuam ille secessisset, se ibi quoq; per procuratores suos iure illum compellasse; ita à Geneuensibus Judicibus in quos uterq; compromisisset priori transactione comprobata denuo fuisse litem quibusdam nouis insuper conditionibus additis compositam. Eum aut̃ et his quoq; elusis, tertio Buxum ipsius, arresto molestasse, Se uero huius ẽt arresti relaxationem petente atq; obtinente, illum Tolosam cam̃ deuoluisse, ubi etiamnũ hæreat. Interim etiam procuratore ipsius mani quodã ꝑtextu in carcerem conijci curasse; Varia deniq; alia meditari atq; moliri, quibus nocendi ipsi studio causa in longum producatur. Quemadmodum illa et totam rei seriem V. Serꝑ.tus ex Supꝑdicti Sac. Cæs. Mꝑ.tis Dñi et Parentis nri Colendiss. atq; amantissimi eodem de negotio scriptis ad se Comendatitijs plenius

et copio:

copiosius intelliget. Hæc igr in summū suarum facultatum dispendiū cum uergant, Supplex à Nobis orauit, apud V. Ser.tem Clementi intercessione nra se eousq; saltem iuuari, ut eiusmodi tandem molestissimis diuexationibus iure liber redditꝰ, pristinæ suæ mercaturæ exercitium tuto repetere possit. Quanq; igr V. Ser.tem sua sponte homini tam miserè et inquè diuexato, (si quidem hæc ita sunt, ut ad Nos deferuntur) opem, quæ conuenit esse laturam, minime addubitamus: petimus tamen amanter admodum, ut finiendæ tandem maturius dictæ controuersiæ cam secretiori suo Consilio Sumariè cognoscendam benignè demandet, ac quod Jus et æquitas inde dictauerit, ipsa decernat decernendumuè iubeat, illius deniq; ea ratione clementer habeat, quo nra comendatione adiutū sese esse non incommodè sentiat: psertim uero ut ad priorem et solitam, in Regno V. S.tis negotiatione clementer (siquidem usus ad nras etiam prouincias plurimus dimanat, si libera sint utrinq; merces eis nessarias auehentium et aduehentiū comertia) admittatur.

mittatur. Erit id propensae V. Ser.mis in aequitatem
uoluntatis ac clementiae proprium, specimenq; eximiu,
nobis uerò ita gratum, ut inter caetera Viae S.tis er:
ga nos amantis et optimi animi studio id quoq;
positum, mutuis etiam uera et fraternae beneuo:
lentiae, qua alioquin ardenti erga ipsam ferimur, of:
ficijs cum res feret, compensandum, perlibenter si:
mus suscepturi. De caetero omnem eidem
V. Ser.ti felicitatem ex animo peroptamus. Datae Viennae
XIII.a Junij. Anno 1564.

Maximilianus &c.

Episcopo

3430

Quoniam hoc tempore auis uacupio, quod iterato nuc insti:
tuimus necessarijs, maxime uero Falcones, et alias quasdam ex
noto illo Accipitrum genere q; Bastardos et Coeruleipedes uocat,
magnopere hic desideramus. Sane à T. De: perclementer
petimus, ut eiusmodi nobis aues, intermontana ista
eius Ditionis loca capi solitas, aequo delato pretio

libere

libere nobis comparari procuret, id quod Nos quidem pro solito suo erga nos obsequendi studio perlibenter facturū minime dubij pergratum nobis futurū benigne et contestabimur. Datum Viennæ XIIII.a Junij Anno 1564.o

Maximilianus

Ad Galeatium Cusanum literarū suarū à Januario, usq; ad finē Maij scrip.t recepisse.

344 Literas tuas, quotquot à Januario ad finem usq; Maij ad Nos dedisti, oes et singulas Clementi cumprimis animo accepimus, quod ex ijs indefessum ergo Nos obsequium tuum, fidemq; eximiam, nequicq; diminui probe animaduertamus. Quapropter Nos quidem quin istam porro etiam operam tuam nobis gnauiter sis p̄stiturus, nihil porro dubij hoc tuto tibi pollicemur, Pia ista officia tua in benigna memoria nra esse reposita. Datæ Viennæ XIIII Junij A.o M. D. LXIIII.o

345 Literæ passus pro Joan: Alphonso Castaldo.

MAXIMILIANVS ⚭. Cum Mag^ius fidelis nobis dilectus Joann: Alphonsus Castaldo Pocillator noster et Aulicus, quorundam suorum negotiorum causa iter in patriam Italiam nunc habeat: Nos uero ei ob grata inprimis et fidelia nobis obsequia multis modis prestita, q̄ decætero et prestaturum confidimus: perbenigne faueamus, ac proin feliciter illi q̄d parat, cedere, prossolita nostra in eu clementia in primis cupiamus. Nos ab eorundem Dis. Deuot. et à cæteris, amanter, beneuole ac benigne petimus et uolumus, ut eundem Castaldum, illæ quidem in suarum Ditionū finib. et territorijs, hij uero in ijs terminis, quorū ipsis demandata est administratio, uel prefectura, tàm naui quàm terra euntem et redeuntem liberis cum equis et sarcinis suis proficiscentem ubiq; dimittant, ac, si quando curribus, equis, et eiusmodi alijs itineri comodius conficiendo necessarijs indigeat, ea illi pro æqua mercede ac precio delato libenter suppeditent, suppeditarue iubeant, Qd ab illorū quidem Dis^ibus et Deuoti^bus gratum nobis cumprimū obtinget, nrā beneuolentiæ officijs libenter aliqn. recopensandū. Cæteri uero in eo nrā sauolutati paruisse intelliget. Viennæ xiiii^a Junij A.^o lxiiii.^o

Ad Comitem.

3760 Maximilianus etc.

Comiti Prospero ab Archo suarum literarum recepisse

Redditæ nobis sunt tuarum quinæ Januarij: totidem Februario, Martio quaternæ: Aprili octonæ, Maio quaternæ ad Nos scriptæ lrã, quarum singulæ nobis pristinum tuũ in Nos studium et obsequendi desideriũ ardentissimũ, fidemq; probatissimam in dies constantiorem accrescere nobis pclare comprobant. De his itaq; te plurimum amamus, et ut hic tibi amor et benignitas usui aliqñs et honori sit, cordi libenter nobis erit. Datum Viennæ die XIIII Junij. Anno ꝛc M.D.XXIIII.

Maximilianus etc.

3870 Duci Parmæ

Deuota nobis dilecta, Lucina de Angussolis Mantuana, conquesta apud nos, diuturna sanè et pgraui controuersia quæ ipsi de bonis quibusdam in Agra Parmensi sitis facessitur à multo iam tempore diuexari; magno certè

no certè suo dispendio, quod ipsa non æquè liti deducendæ
adesse possit, ac aduersarij. Suscepisse tamen referens Vrām
Dilnem pro sua in illam benignitate rem tandem utrinq; a-
manter componendam. Id cum Nos è re bonæ illius
matronæ plurimū fore, et nostra quidem commendatione,
V. uerò Dilnis ope et beneuolentia dignam intelligamus,
in statuto pietatis isto officio pergere V. Dilnem amā-
ter petimus, atq; ita satagere, ut dicta Lucina à lite
tam sibi dispendiosa quanto ocyus fieri potest libe-
retur: nostram deniq; hanc intercessionem sibi profu-
isse apertè sentiat, Factura est in hoc V. Dilnis ex
solita sua cùm in homines desolatos pietate, tum in
Nos studio amantissimo, quod Nos quoq; gratum
et optatum habuisse, quibuscūq; ueræ erga V. Dilnem
beneuolentiæ officijs libenter aliqn. contestabimur.
Datum Viennæ XIIII Junij. Anno ꝑ M.D.LXIIII°.

348. Maximilianus &c.

Comiti Prospero ab archo.

Hannibalem

Hannibalem Lotharingum fidele item nobis dilectum, tam ob sua merita quam Rmi in Chro patris Ottonis Cardinalis Augustani, cui à Secretis est, charum acceptumq; plurimum habemus. Intelligimus autem, reditus Bolsenæ terræ, qui ducentorum sunt Coronatorũ annuorũ operæ et laborũ suorũ dicto Rmo Cardinali gnauiter à multis iam annis impensorũ pmium aliquod, iampridem fuisse assignatos atq; donatos: Verum à toto eo tempore, quo S. D. Pont. Max. Sumo huic pontificatui pest, nunq; fuisse solutos, eo quod sua Stus pfatam terrã Bolzenam à Rmo in Chro patre Cardinali Crispo, qui antea eidem Hannibali pscriptos prouentus annuati pependit, ad Rmum in Chro patrem Card. Amulium, transtulisset, qui tametsi eam terrã ijsdem oneribus, quibus alter possedit, annexis acceperit, huousq; tamen sæpedicto Hannibali nihil planè soluit. Quod cum graue sit Inprimis Hannibali speratis scilicet ex tanti temporis seruitio suo fructibus omnino frustratum iri. Volumus sane te nro noce à Sua Sta reuerenter ac cumprimis petere, opera et studio in re tuo quoq; quanto maximo interposito, ut dicto

Hannibali aliunde iacturam istam resarciendam Clementer procuret: Maxime uero, ut ex spolijs quae uocant, Hispaniarū Sanctae Sedi Aplicae cedentium saepedictos annuos Coronatos ducentos, ac q̄ p̄terea ducusq; insoluta ipsi extant, recipere ille deinceps possit, Ea in re quam gratum nobis paterni sui erga nos amoris officium Sua S.tas p̄stitura sit, per diligenter et attestaberis, quemadmodum pro tua antehac satis superq; nobis contestata quibuscunq; in rebus prudentia probe curaturum te esse scimus. Feceris in hoc ex n̄ra omnino Clementi uoluntate: quod prom nos acceptum habuisse, solita n̄ra benignitate cum res feret, Clementer tibi comprobabimus. Datum Viennae XIIII Junij. Anno &c. M. D. LXIIII.

Maximilianus etc.

Joanni Pethei Vt suis insertas literas cito tutoq; Budam deferendas curet.

379°

Magnifice fidelis nobis dilecte. Quoniam n̄ra plurimū

interest

interest, ut hiscæ insertæ literæ maturè et tutò reddantur cui in-
scriptæ sunt, ad te eas mittimus, hoc Clementer abste contenden-
tes, ut quamprimum acceperis, Nuncio singulari Budam deferen-
das cures, in eo ex nra benigna uoluntate omnino acturus.
Datæ Viennæ Austriæ XIIII Junij Anno M.D LXIIII.

350° Maximilianus &c.

Episcopo Nitrensi, Insimili
Ladislao Keretschini ut Falco-
nes et Coeruleospedes comparent
et ad Mtem suam mittant

Quoniam hoc tempore aues aucupio, quod instaurandum susce-
pimus, necessarias, Falcones maxime, et alias quasdam ex
noto illo accipitrum Genere, quod Basturdos et Coerulei-
pedes uocant, magnopere hic desideramus, a Vra Deuotna
perclementer petimus, ut eiusmodi nobis aues istis in mon-
tibus Vræ Ditionis capi solitas, æquo pcio libere nobis com-
parari sedulo procuret: id quod Nos quidem pro solito suo
erga Nos obsequendi studio eandem Deuotnam Vram perli-
benter facturam minimè dubij, gratum nobis accidere be-
nignè ei contestabimur. Datæ Vienæ XV Junij 1564.

351

Literæ testimoniales cum passu pro Luca Bronia de Barad.

MAXIMILIANVS 52 Notum facimus tenore p̄sentium Vniuersis et singulis. Quod cum fidelis Nobis dilectus Lucas Bronia de Barad annos tredecim continuos seruitio nr̄o addictus, non fidelem solum in interiori nr̄o Aulico Satellitio operam Nobis nauarit, sed et de cætero omne obedientiæ et fidelitatis officium p̄clarè nobis p̄stiterit, Eo aūt seruitio nunc demum liber à Nobis redditus, atq; bona gratia licentia et satisfactione nr̄a à nobis dimissus ad suos redire nunc cupiat, Equidem uniuersis et singulis nr̄i et Sac. Imp. Rom., et aliorū quorumcunq; locorum terrarū, Vrbium, et Communitatum locum tenen. &c. Capitaneis p̄fectis, gubernatoribus, uicegerentibus, Magistratibus, Consulibus, Ciuibus, Communitatibus populis, et alijs subditis et fidelibus nr̄is seriò mandamus, cæteros uerò amicos et beneuolos nr̄os gratiosè requirimus, ut dictum Lucam Bronia iter suum quocunq; uoluerit allatis secum sarcinis et suppellectile sua liberè facere ac tutò transire et proficisci permittant, eiq; ob sua in Nos fidelia et longa seruitia omnem fauorem et auxilium Vbi opus fuerit p̄s tent, In quo

amici

amici et beneuoli nostri rem nobis facient pergratã Subditi uero nr̃i expressam exequuturi sunt volũtatem nr̃am. Datæ Vienne die xv^ta Junij Anno M.D.LXIIII.°

Regi Hispaniæ

352°

Maximilianus &c Delatum ad Nos est suppliciter Josephũ Salandum bo. me. quo Sac. Cæs. M^tas Dominus et parens nr̃ colendiss. atq; amantiss. perfideli et obsequenti complures annos est usus, cum clementi eiusdem Cæs. M^tis uenia Italiam reuersus ducta uxore, Sedem aliquandiu in patria fixisset, misere mortuum, liberos post se admodum infantes. Ferdinandũ filium, et filiam reliquisse, qui sub cura Matris suæ Salonæ nunc agunt. His aũt orphanis ẽe nonnulla in agro Mediolanensi bona, quorum quietius fruendorum causa, V. Ser^tem supplici nuper porrecto libello, benignitatem eius humiliter implorassent. Ad hæc igitur pietatis et beneficentiæ in orphanos p̃sertim officia, etsi Vr̃am Ser^tem sponte esse studiosissimã probe nouimus, pro nr̃a tamen in dictos Orphanos iusta benignitate inter-

missum

missum noluimus, quin ut Vrām Serᵗᵒᵐ ipsos benigne tuendos fouendosq; alacrius suscipiat, peramanter peteremur, ut sanè moiorem in modum petimus, id certè pergrati eiusdem Vræ Serᵗᵒ fraterni in Nos amoris officij loco libenter posituri, mutuæ id nræ beneuolentiæ studio cum res feret, demerituri. De cætero omnē eidem V. Serᵗᵒ exoptatā felicitatem ex animo precamur. Datæ Viennæ XVII Junij. Anno ꝛc. M.D. LXIIII.

Regi Poloniæ

353° Maximilianus ꝛc. Exponet quædam, qui has ad Vrām Serᵗᵒᵐ feret fidelis noster dilectus à Bopschitz quæ à Nobis in mandatis habet pro Sua in Vos fide et obsequio ipsi significanda, Eum igitur ut Vrā Serᵗᵃᵉ et libenter audiat, et in singulis, q̄ n. feret, eandem, quam Nobis ipsis p̄ntibus, fidem habeat amanter petimus. De cætero nra uerè fraterna beneuolentia Vræ Sᵗⁱ ꝑpetuo conseruata feliciss. et diutiss. ipsam ualere à Deo opti. Max. peroptamus. Datæ Viennæ XXᵃ Junij. Anno. 1564.

Christophoro

Maximilianus &c.

354° Christophoro Orza.

Expositum est Nobis iterũ in persona Excellẽtis Propertij de Simeonibus, Philosophiæ, ac Medicinæ Doctoris, te adhuc sibi de reliqua salarij sui summa debere florenos Hungar: ducentos et octo, idq; ex pacto. Nam ex chirographo tuo satis apparet te dicto Doctori in singulos annos pro suis laboribus, quales cunq; tandem illi futuri essent, siue multi, siue etiam pauci, trecentos Hungar. pro salario constituisse. Ex quibus centum aureos accepisse, reliquos adhuc sibi deberi affirmat. Quapropter cùm æquum sit, ut quodcuiq; debetur, integrè persolatur; ac te in primis deceat in tam liquido debito persoluendo, pactis, ac promissis tuis stare; et indignũ ét sit eos, qui operã nauauerint, mercede suâ fraudare; Fidelitati tuæ harum serie iterum atq; iterum committimus et mandamus, vt dicto Doctori, aut eius homini ab ipso ad id deputato, ꝑ dictam debitam pecuniæ summam integrè

persoluere

persoluere eumq; quamprimum contentum reddere debeas, et tenearis. Secus ne feceris. Datæ Viennæ XXII.ª Junij Anno M. D. LXIIII.°

355°

Maximilianus ꝛc.

Cameræ Hungaricæ.

Tardius vos ad aliquot lrãs nostras, de Honesto fideli nobis dilecto Georgio Albany aulico nro ad Secretarij munus isthic ascito ad Vos scriptas respondisse, quod iusta de causa excusatis, nos quidem Clementi animo accipimus, atq; in eo satisfactum uobis libenter agnoscimus. Eundem igr Albanum ut iam antea quoq; ad Vos 6 die Maij scripsimus, etiamnũ nri Secretarij, ex Aula nra isthuc missi loco, eodemq; statu quo antecessor eius à Vobis haberi, idemq; ei stipendium solui, benigne volumus. Et nunc quidem ex singulari etiam benignitate, ob gratam niterea operam nobis pstitam erga ipsum susceptã, quod illi

ab initio

ab initio huius anni, quo fere tempore ad eiusmodi is munus Vratislauiae primum est delectus, in huius mensis Junij finem usq; ex dicto stipendio pro rata debebitur, parata pecunia per Vos exoluendum decernimus. Quoniam uero eum hoc tempore muneri honorario, quod Bassis Turcicis destinauimus apportando Constantinopolim ablegandum statuimus, uolumus etiam eius stipendij portioni nec quicq; interea detrahi, sed integram ac perinde ac si p̄sens esset illi cedere, ne ex fide et studio, quod ea in profectione peracceptum nobis nauat, quicq; dispendij ferat. In his benignā et expressam nostram uoluntatem pro solito Vestro erga nos obsequio exeq̄mini. Datae Viennae XXVIII^a Junij. Anno ꝑ M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

356° Vice Regi Neapolis

Quoniam accepimus Venetorum quorundam de Leze et Bassadonna familiae patritiorum nauem, cui p̄erat Georgius de Legma isto in mari interceptam atq; ad operam Classi Vrae Regiae nauandam, non sine eximia dictorū Patritiorum iactura, esse ab:

ductam: sane rogati horum nõie suppliciter, deesse illis non potuimus, quin eo nõie apud Vrãm Dis.nem inter-cederemus atq; amanter ab ea peteremus, ut siquidẽ dimitti potest nauis illa omnino liberetur: sin minus, saltem condecenti stipendio alatur, quatenus pruden-dentiæ V. Dis.is existimabitur, et condignè soluetur ijs, quos hisce iterum commendamus: Qua in re, ut summè desideramus p̃fatis Patritijs hanc inter-cessionem maximè commodo esse, ita nostris etiam be-neuolentiæ officijs mutuis libenter cum res feret repẽ-demus. Datum Viennæ 28 Junij Anno p 1564